



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De amaritudinibus Ecclesiæ. tit. 267

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

TITVLVS CCLXVII. 391
DE AMARITVDINIBUS
Ecclesie.

TITVLVS CCLXVII.

Primò, B. Bernhardus sermo. 33. super illa
verba Prophetæ, Ecce in pace amarirudo Esai. 38.
mea amarissima: dicit, quòd hæc sunt ver-
ba ecclesie Catholicæ, quæ maximas tres
amaritudines, id est, dolores sustinuit. Pri-
ma fuit in nece Martyrum, quandò vnusquisque qui
interficiebat sanctos, arbitrabatur se obsequiũ præ-
stare Deo, Ioann. 16. Tunc enim lapidati sunt, dissecti
sunt, ad exilium relegati, Heb. 11. Hoc in primis penè
quadringentis annis post Christi ascensionem factum
est, sed sancti per fidem vicerunt regna, & coronati
iam regnant in gloria, omnes illi armati verbo Chri-
sti, Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus
&c. Et Ioan. 12. Omnis qui odit animam suam, id est,
vitam, propter me, inueniet eam. Fuit enim primà
Ecclesia amara in corpore, sed valdè clara in consci-
entia.

Secundò, Deuicta hac tentatione Ecclesiastica, &
sedata tentatione & tempestate Martyrij, dolens sa-
than de pace Ecclesie, conuertit se ad aliud genus
amaritudinis, & excitauit Hæreticos homines, va-
næ gloriæ cupidos, volentes sibi facere nomen: & ex-
euntes de Ecclesia, matrem, quæ ipsos Christo genuit
varijs sagittis & diuersis dogmatibus afflixerunt &
vulnerauerunt. Vndè factum est, quòd fidei deuotio
& religionis cultus maximè perit. Semper enim no-
ua secta aliquam portionem Ecclesie abstulit, & fi-
dei & deuotionis, incipiendo hoc ab Arrio, & per-
sequentibus hæreticis clerum. Sed & hæc pestis quo-
dammodò depulsa est in sapientia sanctorum Do-
ctorum, sicut & prima victa est in patientia marty-
rũ. Dedit enim Deus doctores pios & Episcopos san-
ctos;

PPP 2 605;

ctos, qui corpus Christi mysticū propugnabant, Eph. 4. Quieuit etiam per aliqua tempora Ecclesia, licet in amaritudine hæresum constituta.

Tertiò, Ultima nunc Ecclesiæ amaritudo est amarissima, quia filios enutriuit, & ipsi spernunt eam, Hoc est, homines prælatos Ecclesiæ, qui maculant Ecclesiam turpi vita, turpi quæstu & commercio, Esa. 1. Hæc est amarissima amaritudo, & miseradus incertus Ecclesiæ. Isti reformari nolunt, Isti adeò vulgares sunt, vt nemo eos vitare possit. Si exurgeret violentus inimicus Tyrannus, forsitan qui se absconderet ab eo, Si apertus inimicus aut hæreticus, mitteretur foràs, sicut palmes, & arefceret, Ioan. 15. Nunc vero quomodò eijciet Ecclesia falsos prælatos, Simoniacos, luxuriosos, auaros, &c. Omnes sunt amici in percipiendo temporalia, omnes inimici, quia negligunt officia Christi. Omnes pacifici & aduersarij, Omnes domestici & nulli pacifici, omnes proximi, sed omnes sua quærentes: Omnes ministri Christi, sed seruientes Antichristo: Honorem Christi in bonis Domini suscipiunt, sed Christum non honorant. Hic histrionicus habitus, aurum in frenis, in sellis & calcaribus: Indè comestationes, Cythara & Lyra, sed laudem Dei & curam domus Dei, cui rectè præesse debebant, nullus curat. Ergo ecclesia quæ fuit amara in nece martyrum, amarior in conflictu Hæreticorum, nunc amarissima est in malis moribus domesticorum suorum. Hæc Bernhardus.

*QUARE BONI CVM MALIS
puniantur.*

TITVLVS CCLXVIII.



AGna quæstio est, quando Deus est iustus, & rectum iudicium eius, Psal. ut. quare cum malis, qui meritò flagellantur, & boni puniantur, aut etiam talia à malis